

III.

NEOVIDENSIS

Nro 34. ( *Neovidensis* Nro 57.)

---

Ex

Vallibus, ad quas nulla irrupit Erinis,  
*viventibus submissus Sermo Politicus*  
*de Politico Germaniae statu.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 27 Julii 1804. (Neov. 13 Julii.)

---

Sententia :

Varietas internarum imperii formarum in Germania  
abunde probat ejus independentiam.

*Encyclopaedia.*

**I**ta pedetentim se Germania in diversas imperii formas divisit, sicut civitas in distinctas familias; atque hæ politicæ familiæ in interno cujuslibet provinciæ, & provinciolæ satis, superque testantur Germaniam esse independentem.

Hæc dissimilitudo internarum imperandi specierum in Germania partim profluxit ex ipsa communi constitutione, partim ex pactis, & domesticis institutis. In majoribus Provinciis ordines, in minoribus legitimi magistratus inter Imperantem, & populum sunt medii, qui de eo quod justum est, vel injustum,

decidunt. Quotidie occurrunt exempla controversiarum, quæ inde suam trahunt originem, quod jam una, jam altera pars majorem sibi arroget auctoritatem. Decisio earum demonstrat germanicam Principum, & populi libertatem, hæc enim nonnisi in assumpto legitimo ordine consistere potest. Quod sequitur, plurimum ad rem facit:

*Ad*

*Suam Electoralem Serenitatem  
Universorum Prælatorum, & Provinciæ humillima  
declaratio, super materia in altissimo de 12-ma  
Junii Rescripto contenta, negotii toti Provinciali  
Conventui publicati, d. d. 18. Junii 1804.*

*S e r e n i s s i m e !*

Quamvis communis Provinciæ congregatio ad omnia objecta, quæ in altissimo 12-mæ Junii Rescripto attacta sunt, simul humillime respondendum esse duxerit, tamen obsequiosissime subscripti uberiore benigna Signatura de 15. h. m. permoti sunt, ut illud negotium, quod Vestra Electoralis Serenitas per Commissarios inquirendum præcepit, in peculiarem assumatur deliberationem, & distincta humillima præstetur declaratio.

Quam periculosa, & juribus provincialibus in nonnullis casibus adversa posset videri repræsentatio a Collegiis facta; tam parum tamen queunt obedientissime subscripti ob statum, in quo illa res modo versatur,

vel momento morari, quin post hodiernam, mane, & a meridie institutam consultationem, & communi consensu factum conclusum Serenitati Vestrae Electorali aperte, & sine dissimulatione sequentem faciant actionis suae relationem; neque delectos viros, neque Comitum, ita dictante intima convictione, ulla ratione limites suae potestatis transiisse.

Hic residens Gallicus Legatus pluribus ad se convocatis Provinciae membris occasione diversorum colloquiorum fide digne, ut ipse asseveraverat, significavit: Proto - Consulem pro tot praestitis Provinciae a Gallico Gubernio commodis nullum aliud expectare gratitudinis documentum ab Ordinibus Wurtembergicis, quam ut justis, & aequis Principis Electoris desideriis, cujus sortem ipse valde miseratur, satisfiat, illique praesentibus rerum adjunctis accommodum subsidium pecuniarium subministretur, quod quidem nunc, ut urgenti ejus necessitati consulatur, efficiat, oportet, summam 200,000 fl. deinde vero in annuis 30,000 fl. consistat.

Delectorum a Provincia virorum collegium habuit quidem jus suum futurum Imperantem & propter ejus statum, & propter nativitatis conditionem adjuvandi.

Tunc tamen primo, postquam Provincialis conventus eidem novam, & determinatam atque rationibus publicis conformem pro similibus casibus dedisset instructionem, postulatum hoc evasit objectum deliberationis,

vi cujus secundum veterum, & recentiorum temporum exemplum constituta est Deputatio; & postquam hujus opinionem plene intellexisset, selectorum virorum societas persuasum habuit, sui officii esse agere juxta principia, sibi a Comitibus pro norma actionum in ejusmodi casibus observanda proposita, præsertim cum consideratione digna sint motiva:

Hunc Serenissimi Principis Electoralis statum summopere esse cordi Protoconsuli.

Bonum commune Provinciæ id vehementer exigere, ne idem Princeps, si in suo præsentis statu relinquatur; cogatur ad remedia damnum allatura recurrere, debitaque contrahere, quorum solvendorum onus ad extremum ipsam Provinciam saltem via indirecta posset manere.

Ad prima officia ordinum Provincialium pertinere, ut sui futuri Imperantis benevolentiam, affectumque erga constitutionem omnino fieri potest, modo procurent, omnemque removeant justæ indignationis ansam.

Denique Status, & Ordines nec prioribus temporibus unquam defuturos fuisse, quin putativo etiam in imperio suc essori, & quidem in circumstantiis, quæ nec tam multis, nec ita ponderosis rationibus provisæ fuissent, atque hæcenus allatæ, sufficienti subsidio succurrissent, adeoque nunquam intervenisse casum, qui Provinciam gravissimis considerationibus ad consensum magis impulerit, atque iste, de quo agitur.

Quapropter unanimi sententia conclusum

est, ut Serenissimo Principi, siquidem status ærarii subsidium in numerata pecunia non admittat, ad fidem publicam sub fidejussione Provinciæ mutuam sex annis duraturum in summa 200,000 fl. comparetur; Legatus enim Gallicus palam fecit, initio oblatam 100,000 fl. summam præsentibus Principis Electoris necessitatibus non suffecturam, præterea ut eidem annum 20,000 fl. donum gratuitum assignetur.

Cum ex hoc secundum suam veritatem exposito rei cursu sponte sua, ut nulli amplius dubio locus esse possit, consequatur;

1) Consensui in quæstionem sumto prævisse expressam totius Provincialis conventus instructionem, quæ ex natura rei ita concinnanda erat, ut præsentibus Principis Electoris necessitatibus, quæ extraordinarios sumtus requirebant, consentiat; itaque rem hanc esse factum totius Conventus, a quo sine conditione, & secundum omnem considerationem concordibus suffragiis approbatum est, non vero esse opus societatis cujusdam ex paucis Personis conflatae, quæ alioquin neque existit, neque exstitit unquam, et

2) Non esse quæstionem de aliquot centenis millibus ex ærario publico profundendis, sed tantum de solo Serenissimo Principi Electori ad Provinciale creditum procurato mutuo: Hac de causa nil aliud superest obsequiosissime subscriptis, quam ut humillime respondeant ad accusationem, qua graviter percussi sunt, ac si illi dato consensu Serenissimi Electoralis Principis absentiam faciliorem reddere intendissent.

Equidem, cum talis ab illis ipsis reprobanda intentio ex eorum in hoc negotio agendi modo nulla ratione deduci queat, cumque eosdem consilia, & actiones ordinum Provincialium generatim ab omni hujus generis suspitione absolvere debeant, possent ad solius conscientiae testimonium provocare. Liceat tamen ex Benignitate Serenitatis Vestrae quaspiam observationes humillime adnectere, quæ eorum agendi rationem in majore adhuc luce collocent.

Inprimis non poterant Status, & Ordines, qui alioquin relationem inter Vestram Electoralem Serenitatem, & Serenissimum Principem vigentem dijudicandi nec capacitatem, nec jus habent, existimare necessitates pecuniarias cum longiore, vel breviori Serenissimi Principis absentia posse esse connexas, sine manifesta violatione debitæ illi venerationis.

Sed etiamsi posset iste casus ut possibilis assumi, ut tamen in quæstionem adductum studium eum juvandi Provinciae impetetur, ostendendum esset:

- 1.) Nulla alia Serenissimo Principi auxilia præsto fuisse.
- 2.) Subsidia fuisse continua, ejusque necessitatibus accomodata.

Jam autem amplissimum Serenissimi Principis genus sufficientia illi suppeditat remedia emergendi ex necessitate pecuniaria, neque habet Provincia rationem dubitandi de rumoribus, secundum quos eidem ingens pecuniæ vis erga exaggeratos census offerebatur.

Si itaque Status, & Ordines Serenissimo Principi erga suam fidem interpositam mutuas procurarunt pecunias, id effecerunt, ut illum a summe noxiis, & in immensum crescentibus mordentium usurarum sequelis salvum præstiterint.

Denique subsidium, quod per Provinciale creditum procuratum est, præsentit tantum Serenissimi Principis necessitati fuit ad mensum, & semel concessum, atque una cum annuo dono adeo exile, ut omnibus ejus necessitatibus neququam sufficiat.

Si autem Provincialis consensus nulla ex parte erat ita comparatus, ut ad prorogandam Principis Electoris in exteris regnis commorationem aliquid conferre potuisset, judicarunt obedientissimi subscripti hunc noxium effectum potius ab alia contrarium producente actione metuendum fuisse.

Serenissimus Princeps non poterat ignorare, quantopere ejus absentia affectum sit regnum, hujusque vicarii, & quam communibus votis ejus reditus in patriam desideretur. Si itaque aliquando Ordines anhelabant, ut serius, aut citius voti damnentur, hac etiam de causa oportebat eos sollicitè cavere, ne, postquam ille suam exposuit penuriam, ipsi ignave agendo justam dent ansam indignandi Provinciæ, & patriam aversandi.

Generaliter communis Provinciæ conventus præter redintegrationem clementissimæ, & humillimæ fiduciæ Principem inter & Regnum nihil ardentius cupit, quam ut inter Vestram Electoralem Serenitatem, & Sere-

nissimum Principem reconciliatio interveniat, & ideo longe absit, ut huic salutari fini quoquo modo ponant impedimentum, quin potius fidelissimi, & obsequentissimi Ordines præcipuam sui muneris vim in eo ponunt, ut, quid quid ad obtinendum hunc finem conducit, seu ad reditum Serenissimi Principis in amplexus Serenissimi sui Genitoris, & sinum Patriæ, in id omni diligentia enitentur.

Obedientissimi subscripti spem non ex incerto concipiunt, fore, ut Vestra Electoralis Serenitas fidelem Provinciæ Württembergicæ Vicariorum animum, quem omni tempore, & in diversissimis occasionibus erga regnantem familiam testati sunt, in hac etiam hæcenus exposita agendi ratione agnoscat.

Hac fidelitate ducti non poterant non mox sorte Serenissimi Principis, eique in necessitate constituto auxiliari; & ob hanc manifestam suorum motivorum veritatem nec ipsis incidit suspicari, ut eorum Serenissimo Imperanti hæc ex sincero animo profecta concessio veluti violatio juris, aut, quod non minus noxium esset, tanquam subsidium absentiae Serenissimi Principis, quam tamen semper quam maxime doluerunt, potuisset unquam proponi.

Obsequiosissimi subscripti relate ad Inquisitionem per Commissarios factam humillime provocant ad datam 12 h. m. declarationem, una se altissimis favoribus, & gratis commendant, atque in homagiali obsequio emoluntur. Stutgardicæ 18 Junii 1804.

Vestra Electoralis Serenitatis

Humillimi, fidelissimi, & obsequentissimi  
*Universitas Prælatorum, & Provinciæ.*